

LVCTVS

CONSOLATORIVS.

Super morte nuper D. Cancellarij *Angliæ, Nouembr.* 1591.



LONDINI,
Apud Thomam Orvvinvm Typographum.
1591.



ÆGRÆ CONSOLATIO MENTI.

In egregij D. Cancellarij Angliæ, prænobilis ordinis Garterij Militis, feliciſſ. Dominæ noſtræ Reginæ ELIZABETH à conſilijs intimis, Obitum.

REGIA multiplici quem gratia nuper honore,
Splendentem noſtro reddidit orbe virum,
Forma venuſta cui, ſpecioſum & amabile corpus,
Geſtus & ab omni parte decorus erat,
Ingenium ſolers, locuples facundia linguæ,
Ingenui mores, Candor, & Integritas,
Comis, Munificus, Prudens, ſynceriter Æquus,
Qui pro perſonæ & conditione grauis,
Quiq; in amicorum quemcunq; aſciuerat album
Conſtanti ſemper fœdere fidus amat,

Quiq;

Quiq; generosus Musarum iugis Alumnus,
Musicæ & excultor relligiosus erat,
Archigrammateus tandem, qui fungitur illo
Munere cum summis sedulitate' fide:
Cunctis penè bonis Felix qui denique quantum
Mortalem virtus vlla beare queat,
Eheu CHRISTOFERVS citò concidit inclytus Iste
HATTONVS sæuæ mortis ab interitu.
Hæc damnosa quidem grauis est iactura momenti,
Et quæ non facili sit reparanda modo;
Verum etenim verò est nobis quod (gratia SVMMO)
Sollicitis præsens esse medela potest.
Vnus ab illustri desit Dynasta Senatu,
Supplent id reliqui vt integer vsq; manet:
Omne nec in vno tenebrescit sydere sydus,
Consplendent Gemmæ fusca sit vna licet.
Quin potius quod res est id reputemus, et æqua
Materies nobis lance librata fiet:
Non fera deflenda est tantum mors vllius vnquam
VNIVS in vita ac sit iubilanda salus:

VNA

VNA HÆC nostra modò PRINCEPS'REGINA'PO-(TESTAS:
Atq; adeò in terris HÆC manus ipsa DEI'.

Primitùs ex bello pacem' scoriaq; monetam,
Exacto Papa' sacra polita dedit,

Confluit Hispanûm sancta invictissima classis,
Præda quibus stolidis Anglia tota foret,

Mascula LONGIMANE trudit partem in mare virtus,
Pars reliqua ignavè fusa fugata fugit.

Inde sub HAC tumidum tam contudit Anglus Iberum,
Vt per svccessus quos mala causa ferat'

Cogitur assiduè quid sit cognoscere cultus
Impius, & frendens vindicis ira DEI,

Et quàm pacatè in CHRISTO vivitur Anglis,
Et quantum cum quêis ELIZABETHA valet:

Livida papali correpta Hispania peste,
Ringens dum miserè tabeat intereà.

Athea spernidei (vah) antiChristia Papæ,
Invictæ & classis (proh pudor) illa fuga;

Gens invisa' tumens' crepitans mendatia, per quæ
Damna pusillanimis dedecorosa tegat.

Atqui' felices ò nos quibus obtigit vnis
Vivere ſub tanta PRINCIPE poſſe diu.
Hoſtibus ILLA(DEO grates) AVGVSTA fugatis'
Compoſitiſq; foris pace & amore domi,
Vſum Evangelij, pura cum Relligione,
Iuſtitiam nec non dat genus omne boni'
Martis vbiq; furor rabidè dum flagret in orbe
Illuſtrêis meritis SE' Patriamq; facit.
Hæc modò tam clarent Orbi vt nec læthifer hoſtis,
Ipſe nec inficias Zoilus ire queat.
Diva igitur PRINCEPS noſtri in moderamine cum ſit,
Prouida, Magnanimis, Iuſta, Benigna, Pia,
Si dolet (heu flendè) quo nos doleamus habemus,
Si valet exultans quilibet (eugè) valet.
Noſtra ſalute ſalus & cum figatur in EIVS,
Orandum votis omnigenaq; prece,
Vt ſua felicis longùm placidiſsima Regni
MAIESTAS ſecum ſecla (quod eſto) trahat.

Mortuus HIC in DOMINO, Beatus ergò.

Vixit

Vixit ann. 50.

D. Cancellarius Angliæ ann. 4. *Mens.* 7.

Per totam vitam cælebs.

Decessit in Palatio suo Oldburniæ Londin. Sabb. 20. *Nouemb. sub* 6. *vesperi: hoc* 1591. *Regni autem sereniss. Dominæ nostræ Reginæ* ELIZABETH. 34.

Funus inde ad D. Pauli, Iov. 16. *Decemb. prox. multorum cum magnifico Nobilium comitatu honorificè die clara & serena delatum, vbi exequiarum iustis venerandè peractis corpus sepulturæ datum.*

Suæ dignitati devotus & devinctus Cliens *W. P. G.*

FINIS.

